



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118480

§. 86. Nova Landgravii molimina pro componendis litigantium dissidiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](#)

„ omnes simul in pace vivatis. „ Ast Sæcul. XVI.
 Lutherus hanc charitatem interpreta- A.C. 1529.
 batur de ea, quæ inimicis debetur, non
 autem de illa speciali, quæ inter Chri- Raynald.
 stianos ejusdem fidei vinculo unitos re- hoc ann. n. 7.
 quiritur. Nihilominus tamen utrinque
 conventum, ne litigantes scriptis ultro
 citroque fese impeterent. Verum haud
 diu hæc concordia substituit; quippe no-
 væ doctrinæ Sectatores vix e colloquio
 discesserant, cum illico, ut fieri assolet,
 se contra Lutherum victoriam reportas-
 se jactarent, vicissim vero Lutheri af-
 feclæ *Sacramentarios* fuisse devictos scri-
 ptis ac verbis divulgabant; unde ani-
 morum contentio indies usque adeo ac-
 cendebatur, ut Lutherus Fratrum so-
 cietatem a Zwinglio oblatam non mo-
 do velut artificiosem fraudem traduce-
 ret, sed etiam palam assereret, Dæmo-
 nem tantopere eis dominari, ut ultra
 nil aliud quam mendacia proferre va-
 leant.

§. LXXXVI.

*Nova Landgravii molimina pro
 componendis litigantium
 dissidiis.*

Attamen Landgravius sinistro primi
 sui conatus successu adeo non ani-
 mum despondebat, ut etiam magis pro-

N n 4 sperni

Sæc. XVI. sperî eventus spe erectus Sectatoribus
A.C 1529 ob oculos poneret, utrinque e re potis-
simum fore, ut saltem animis, quamvis
doctrina ab invicem dissentirent, sincere
conjungerentur, cum absque mutua
concordia haud diu partes suas tueri
possent. Hanc in rem illos Solisbacum
convocabat, ut eis mentem suam ape-
rirebat, ac consilia suggereret. Ast cum
nulla animorum aversio difficilius fane-
tur, quam quæ in materia Religionis ex
opinionibus menti impressis sive veris,
sive falsis ortum ducit, hinc Landgra-
vius quoque experiri cogebatur, quod
Lutheri discipuli maluerint a Catholi-
cis opprimi, quam Zwinglii Sectatores
ad sectæ suæ societatem admittere, vi-
cissim vero hi, cum ex armorum foedere
cum Helveticis Tribubus nuperinito po-
tentia ac numero prævalerent, haud
amplius ab illis articulis, quos Marpur-
gi deseruerant, desciscere, multo minus
vero realem Christi Domini præsen-
tiam in Cœna profiteri volebant; unde
mutua utrinque animorum aversio us-
que adeo excreverat, ut potius ad uni-
onem fidei Catholicæ reverti vellent,
quam a suis articulis vel minimum re-
mittere. Hinc factum, ut Sacramen-
tarii, quamvis in Marpurgensi colloquio
spondistent, quod præter sententiam
de reali Corporis & Sanguinis Christi

præ-

præsentia etiam ceteros articulos, in Sæc. XVI.
 quibus a Lutheri alumnis discrepabant, A.C. 1529.
 ejuraturi essent, nunc tamen in nullo
 prorsus articulo illis cedere decerne-
 rent; quapropter Lutherani etiam per-
 vicavi prorsus consilio a Sacramentariis
 postulabant, ut circa Sacramentorum
 administrationem, Missæ Sacrificium a-
 liosque Ecclesiæ ritus in cunctis suis
 Ecclesiis ritum a Luthero stabilitum ob-
 servarent. Itaque ob mutuum utrius-
 que factionis odium secunda hæc Land-
 gravii consilia prioribus haud magis
 prosperum fortita sunt eventum.

§. LXXXVII.

*Principes Protestantes, urbiumque
 Deputati Smalcaldiæ con-
 gregati.*

Ceterum idem Hassiæ Princeps, cum *Sleid incom.*
 omnes conatus suos in irritum ce-*l. 7. p. 205.*
 cidisse cerneret, sua studia ceteris addi-
 xit Foederatis, qui sub finem Mensis No-
 vembris Smalcaldiæ convenire jube-
 bantur, ut pari armorum robore sese
 Cæsaris potentiae opponerent, veriti, ne
 ab eo opprimerentur. Hanc in rem
 Landgravius cunctis Imperii urbibus,
 quæ Lutheri erroribus erant infectæ,
 hæc exponebat: Non eo numero apud
 vos sit Carolus V, quo olim a Caroli

Nn 5 Magni